

VENERABILIBUS FRATRIBUS

*Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis gratiam
et communionem cum Apostolica Sede habentibus.*

PIVS PP. IX.

Venerabiles Fratres, Salutem, et Apostolicam Benedictionem. Apostolicam Nostram caritatis sollicitudine et affectu universum catholicum contemplantes orbem verbis exprimere vix possumus, Venerabiles Fratres, quo iutimo conficiamur mœrore, cum christianam et civilem rempublicam luctuosissimis cuiusque generis calamitatibus miserandum in modum undique turbatum, pressam ac divexatam conspiciamus. Etenim optime noseitis quomodo christiani populi vel sævissimis bellis, vel intestinis dissidiis, vel pestiferis morbis, vel ingentibus terræ motibus, vel aliis gravissimis malis affligantur, et exagitantur. Atque illud vel maxime dolendum, quod inter tot nunquam satis lugeunda damna et mala filii teuebrarum, qui sunt prudentiores filiis lucis in generatione sua, magis in dies diabolicis quibusque fraudibus, artibus, ac molitionibus committantur acerrimum contra catholicam Ecclesiam, eiusque salutarem doctrinam bellum gerere, legitimæ cuiusque potestatis auctoritatem couellere et labefactare, omnium animos mentesque depravare corrumpere, mortiferum *indifferentismi* atque *incrédulitatis* virus usquequaque propagare, iura omnia divina et humana permiscere, dissensiones, discordias, atque impiarum rebellionum motus excitare, fovere, prava quæque flagitia et crudelissima facinora admittere, nihilque intentatum relinquere, ut, si fieri unquam posset, sanctissima nostra religio de medio tollatur, et ipsa humana societas funditus evertatur. In tanto igitur rerum discrimine probe noscentes, nobis singulari miserantis Dei beneficio in oratione datam esse facultatem et omnia obtinendi bona, quibus indigemus, et avertendi mala, quæ reformidamus, haud omisimus levare oculos. Nostros in montem excelsum et sanctum, unde omne Nobis auxilium affuturum confidimus. Atquo in humilitate cordis Nostri enixis fervidisque precibus divitem in misericordia Deum orare et obsecrare non desistimus, ut auferens bella usque ad finem terræ, et omnia amovens dissidia christianis Principibus, eorumque populis pacem, concordiam, ac tranquillitatem tribuat, ut ipsis præsertim Principibus pientissimum concedat studium quotidie magis tuendi et propagandi catholicam fidem et doctrinam, qua populorum felicitas vel maxime continetur, ut eosdem Principes et populos a cunctis, quibus affliguntur, malis eripiat, et omni vera prosperitate lætiffiet, ut cœlestis suæ gratiæ dona errantibus largiatur, quo de perditionis via ad veritatis et iustitiæ semitas redeant, ac sincero corde ad ipsum Deum convertantur. Etsi vero in hac alma urbe Nostra preces iam fieri iussimus ad divinam misericordiam implorandum, tamen illustra Decessorum Nostrorum vestigia sectantes ad vestras quoque, ac totius Ecclesiæ preces confugere constituimus.

Itaque, Venerabiles Fratres, has Vobis scribimus Litteras, quibus ab eximia et perspecta vestra pietate etiam atque etiam exposcimus, ut commemoratis de causis fideles vestræ curæ commissos omni cura et studio excitetis, quo per veram penitentiam peccatorum pondus deponentes, obsecrationibus, leimoniis, elemosynis, aliisque pietatis operibus iram Domini flagitiis hominum provocatam placare contendunt. Ac pro egregia vestra religione, et sapientia ipsis fidelibus exponite quam multæ misericordiæ sit Deus omnibus invocantibus so, et quanta sit precum vis, si inimico nostræ salutis nullo aditu admissio Dominum adeamus. Oratio enim, ut Chrysostomi verbis utamur, "est fons et radix, et mater innumerabilium bonorum; et orationis vis vim ignis extinxit, furorem leonem refrenavit, bella composuit, pugnas sedavit, tempestates sustulit, demones fugavit, cœli portas aperuit, vincula mortis abruptit, morbos elecit, damna repulit, urbes concussas firmavit, infictas cœlitus plagas, hominum insidias, omnia denique mala sustulit oratio" (*). Vehementer autem optamus, Venerabiles Fratres, ut dum fervidæ clementissimo misericordiarum Patri adhibentur preces ob enunciatas causas, haud intermittatis iuxta Encyclicas Nostras Litteras die 2 Februarii Anno 1849 ad Vos Caietæ datas

(*) S. Joan. Chrysost. Homil. 16 de incomprehensibili Dei natura contra Anomæos.